



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum  
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 7. Quàm deplorandum inuidi malum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

oculos suorum, siccis ipse, immo gaudentibus oculis aspexit. Non illum patris maiestas, non matris amor, non fratrum dulcis consuetudo mouit. Adeo saxeus fuit, ut neque miserabili aspectu tot calamitosorum percelleretur. Ita crudelissimè excæcatus, & orbitatem, quam lachrymis deplorare non poterant, eiulabili questu lamentantes, in vnum conclaue conduxit, & subdito igne, viuos concremauit. Tanta est libido regnandi, tantus inuidiæ furor, tanta amentia liuoris, sua commoda, per aliena damna promouentis.

VII.  
 QVAM DEPLO-  
 RANDVM IN-  
 VIDIAE MA-  
 LVM!

Gen. 4. 10.

Ad tam barbarum facinus, quasi excusso veterno, & stupore abiecto, frater minimus, solus adhuc superstes, è regia profiliens, & per publicas vndique plateas circumcursans, ac domum ad asylum fani confugiens altissima contentissimaque voce clamauit: *Iniulla: ô Deus, quàm impius est frater meus! qui, cruenta manu, sceptrum inuasit, regnumq; violenta successione iniustus haeres, nefarius successor occupauit.* Hæc vociferatio non tantum Armutianorum aures, sed etiam nubes ipsas peruasit. Et cur non? Si enim ad Cain, qui vnicum fratrem occidit, Dominus dixit: *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra?* quid putemus, ad tot fratrum, ad matris & patris intererentorem dici debuisse? Nec dubito, nullum esse, qui, hæc à me dum audit narrari, non quàm vehementissimè indignetur. Rectè quidem, sed frustra parricidæ huic indignamini, quia ille pœnam suam non effugit, ut postea intelligetis. Si vtiliter vultis indignari, ipsi inuidiæ indignamini: hæc detestatione, hæc omni execratione & fuga est digna, quæ tantorum malorum est mater, tantaque semper, in orbem terrarum, mala inuexit; cumq; plurimos quotidie in inferos mittat, tamen à paucissimis agnoscitur, à paucissimis pœnitentia deletur. Operæ igitur pretium, inamo necessarium est, digito demonstrare, qui, & quàm multi hoc vitio laborent.

VIII.  
 INVIDORVM  
 EXEMPLA E  
 SCRIPTVRA.  
 S. Cyprin.  
 serm. de zelo  
 & liuore.

Atque inprimis S. Cyprianum audiamus, cuius hæc sunt: *Quale malum est, quo Angelus cecidit; quo circumueniri & subverti aëra illa, & præclara sublimitas potuit; quo deceptus est, qui decipit? Exinde inuidia grassatur in terris, sicut scriptum est: Inuidia Zabuli mors introiit in orbem terrarum; imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius. Hinc nona fraternitatis odia, dum Abelinum Cain zelat iniustus, dum bonum malus inuidia & liuore persequitur, Iniuste oppressus est, qui iustitiam*